

S. THOMAE ARTICULUS I

DE CARITATE ET PRAEMOTIO PHYSICA*).

Lectores „Divi Thomae“ hoc titulo inscriptum articulum in primo fasciculo huius anni invenerunt a Goritiensi professore Dr. Fr. Žigon signatum in quo doctissimus et perspicacissimus auctor contra P. Stufler S. I. probare satagit a. l. de caritate minime a adversariis praemotiois physicae invocari posse. Quidquid tandem de re ipsa autumnandum sit examen argumentorum cl. auctoris lectoribus nostris hic exhibendum aggredimur.

Cum praelaudatus articulus S. Thomae ad quaestionem „utrum caritas sit aliquid creatum in anima“ respondeat et in ipso doctrina Petri Lombardi caritatem ipso Spiritui Sancto aequantis ab Angelico refellatur — affirmat Dr. Ž. assertionem Magistri et refutationem S. Thomae de Spiritu Sancto reduplicatiye intelligendam esse h. e. in quantum est tertia persona SS. Trinitatis ab aliis duabus realiter distincta. Quo probato sequeretur 1) P. Stufler statum quaestionis non perspexisse 2) omnia ibi dicta ad rem an Spiritus Sanctus qua DEUS vel qua tertia Divina persona auctor caritatis dici debeat spectare, nulatenus autem de motione Divina per habituum infusionem intelligenda esse. Quod tamen probatum nobis non videtur. Primo invocatur auctor verba Angelici in secunda parte solutionis l. d. 17, q. 1, a. 1 contenta ubi haec inveniuntur:

„Ad cuius explanationem quidam... dicunt quod Spiritus sanctus prout in se consideratur Spiritus sanctus et Deus dici-

*) „Divus Thomas“ März 1924. p. 24—34 — Stufler Dr. J. S. J. „Divi Thomae Aquinatis doctrina de Deo operante“ Oeniponti 1923. p. 357 sqq.— De hoc opere et de simili dissertatione Prof. Dr. Žigon adhuc in hoc periodico libello disseremus.

tur; sed prout consideratur ut existens in anima quam movet ad actum caritatis dicitur caritas. Dicunt enim quod sicut filius univit sibi naturam humanam solus quamvis sit ibi operatio totius Trinitatis ita Spiritus sanctus *solus* (cursiva ab auctore) univit sibi voluntatem quamvis ibi sit operatio totius Trinitatis. *Sed hoc non potest stare* quia unio humanae naturae in Christo terminata est ad unum esse Personae divinae; et ideo idem actus numero est Personae divinae et naturae humanae assumptae. Sed voluntas alicuius sancti non assumitur in unitatem suppositi Spiritus sancti. Unde cum operatio a supposito unitatem habeat et diversitatem *non potest esse* quod intelligatur esse *una* operatio voluntatis et Spiritus sancti *nisi per modum quo Deus operatur in qualibet re* „i. e. — pergit cl. auctor — nisi praedicetur de Spiritu sancto specialiter per *appropriationem* voluntatis motio quae reipsa communis est omnibus tribus Personis. En distinctio explicita S. Thomae quomodo motio Spiritus sancti concipienda esset consequenter in conformitate cum opinione falsa Magistri et quomodo intelligenda sit secundum veritatem per *appropriationem*“ et secundum hanc distinctionem interpretatur Dr. Ż. verba a. 1 de Caritate. Quod autem erroneum nobis videtur et primo quidem quia neque in citato articulo Commentariorum in sententias distinctio haec principale responsum est neque deinde in locis paralellis Summae theologiae et a. 1 de Caritate redit.

a) In tribus „contra“ articuli primi l d. 17 q. 1 tota argumentatio caritatem ut *formam* animae inhaerentem demonstrat et de distinctione inter Spiritum sanctum qua Deum et qua tertiam Divinam Personam nulla mentio occurrit immo obiectio hic spectans praeoccupatur hisce verbis: „Praeterea constat quod Deus aliquo modo est in sanctis quo non est in creaturis. Sed ista diversitas non potest poni ex parte ipsius Dei qui eodem modo se habet ad omnia. Ergo videtur quod sit ex parte creaturae scilicet quod ipsa creatura habeat aliquid quod alia non habent. Aut ergo habet ipsum divinum esse; et sic omnes iusti assumerentur a Spiritu sancto in unitatem personae sicut natura humana assumpta est a Christo in unitatem personae ipsius Filii Dei: *quod non potest esse*. Aut oportet quod illa creatura in qua speciali modo Deus esse dicitur habeat in se aliquem effectum Dei quam alia non habent. Iste autem effectus non

potest esse tantum actus; quia sic in iustis dormientibus non esset alio modo quam in aliis creaturis. Ergo oportet quod sit aliquis habitus. Oportet igitur aliquem habitum charitatis creatum esse in anima secundum quem Spiritus sanctus ipsam inhabitare dicitur. Ex his dictis elucet quantum abest a mente Angelici adinventionem istam de assumptione iusti in unitatem suppositi a Spiritu sancto serio tractare nam absurditas talis sententiae tam est evidens ut simplex negatio („quod esse non potest“) ad errorem praecavendum omnino sufficere videatur. Liquet porro agi ibi de „esse“ caritatis an sit actus vel habitus. — b) Neque in corpore articuli in sic dicta solutione distinctio laudata primum locum obtinet. „Respondeo dicendum — sic ibi dicit Aquinas — quot tota bonitas ipsius animae est ex caritate: unde quantum bona est tantum habet de caritate; et si charitatem non habeat nihil est sicut dicitur I. Cor. XIII. Constat autem quod per charitatem anima non habet minus de bonitate in esse gratiae quam per virtutem acquisitam in esse politico. Virtus autem politica duo facit: quia facit bonum et opus eius bonum reddit. Multo fortius igitur hoc facit charitas. Neutrum autem horum effici poterit nisi charitas sit habitus creatus. Constat enim quod omne esse a forma aliqua inhaerente est sicut esse album ab albedine et esse substantiale a forma substantiali. Sicut igitur non potest intelligi quod paries sit albus sine albedine inhaerente; ita non potest intelligi quod anima sit bona in esse gratuito sine charitate et gratia informante ipsam. Similiter cum actus proportionetur potentiae operativae sicut effectus propriae causae impossibile est intelligere quod actus perfectus in bonitate sit a potentia non perfecta per habitum; sicut etiam calefacere non potest esse ab igne nisi mediante calore. Et ideo cum actus charitatis perfectionem quandam habeat ex hoc quod est meritorius omnibus modis oportet ponere charitatem esse habitum creatum in anima; quae quidem efficienter est a tota Trinitate sed exemplariter manat ab amore qui est Spiritus sanctus: et ideo frequenter invenitur quod Spiritus sanctus sit amor quo diligimus Deum et proximum sicut etiam dicitur a Dionysio cap. IV. Caelest. Hier. ar. 1 quod esse divinum est esse omnium rerum in quantum scilicet ab eo omne esse exemplariter deducitur. Magister tamen vult quod charitas non sit aliquis habitus creatus in anima sed quod sit tantum actus

qui est ex libero arbitrio *moto* per Spiritum sanctum quem charitatem dicit“. Angelicus optimus sui interpret. Quam clare affirmat caritatem habitum esse, quam strenue asserit aliud esse impossibile intellectui, quam praecise Magistri sententiam exponit dicentis caritatem actum esse a *motione* Spiritus sancti proventem — quae omnia cum sententia Dr. Ż. minime componi possunt, si revera Aquinas assertum unionis iusti cum Spiritu sancto, unionis exaggeratae, prae oculis habuisset. c) Quod autem sequitur et a cl. professore tanquam argumentum allegatur pro nostra militat sententia nam dicit ibi Angelicus „quosdam“ ad Magistri effatum explanandum ipsius mentem hac unionis hypotesi declarandam suscepisse sed adeo parvi momenti censet S. Thomas hanc explanationem esse quod eam in Summa theologica et in a. 1 de caritate neque mentione ulla dignavit commemorare. d) Ita etiam verba Doctoris communis e 2—2, q. 23, a. 2 depromta in contrarium allegari possunt quam id Dr. Ż. praestat nam secundum dicta Angelici exponenda sunt non vero secundum coniecturas — dicta haec ita clara sunt ut explicatione vix ulla egeant:

„R. d. quod Magister perscrutatur hanc quaestionem in 17. distinct. I. lib. Sent. et ponit quod charitas non est aliquid creatum in anima sed est ipse Spiritus sanctus mentem inhabitans: nec est sua intentio quod iste motus dilectionis quo Deum diligimus sit ipse Spiritus sanctus; sed quod iste motus dilectionis sit a Spiritu sancto non mediante aliquo habitu sicut a Spiritu sancto sunt alii actus virtuosus median-tibus habitibus aliarum virtutum.... et hoc dicebat propter excellentiam charitatis“. Ubi quaeso indigitat Angelicus Spiritum sanctum sumi hic reduplicative? tantum abest cogitatio ista a mente Aquinatis ut in obiectis huius articuli nullibi nomen Spiritus sancti invenies licet occurrant sequentia: „charitas non est aliquod creatum in anima sed est ipse Deus“ „ergo Deus est ipsa charitas“. — Similiter res se habet in articulo de Caritate.

Concludendum est ergo nobis statum quaestionis in a. 1 de Caritate alium esse atque iste quem Dr. Ż. censet; qualis autem sit ulteriori inquisitione relinquimus.

A. Bogdanowicz.